

De  
VERITATE AESTHETICA  
*Dissertatio.*

1799  
Cujus  
Partem Primam,

Venia Ampliss. Ord. Pbil. Aboëns.

Publico examini modeste offerunt

Mag. MICHAËL CHORÆUS,

Stip. Reg.

Et

CHRIST. GUMMERUS,

Ostrobothniensis.

In Auditorio Majori d. 12 Junii 1799,

Horis a. m. solitis,

---

ABOÆ,

In Officina FRENCKELLIANA.

VIRO

PLURIMUM REVERENDO ATQUE PRÆCLARISSIMO,

DOMINO MAGISTRO

JOHANNI GUMMERO,

PASTORI ECCLESiarum, quæ deo in lazzo colliguntur, meritissimo.

PARENTI INDULGENTISSIMO,

Internum mentis ardorem, sincerum votum, atque in  
quam morituram beneficiorum memoriam publice declarat

Elius schedier

CHRIST. GUMMER

DE

## VERITATE ÆSTHETICA.

§. I.

In profundo, ut ait Cicero, demersa est veritas & abstrusa puto: qua indicatum vult imagine, non simul eam amplecti concessum esse mortalibus, sed repetita industria atque sensim fieri oportere. Mihi quidem magis arridet, ut in alto positam veritatem spectemus; scilicet os sublime natura dedit hominibus atque sidera jussit intueri, nimirum ut sic veritatis dulcissimo palceremus oculos spectaculo. Ibi in throno, non auro quidem, sed nescio qua cœlesti materie confecto, sedet atque in terram oculos conjicit hominumque conamina lœta interdum, miserans saepius considerat. Illi autem, quos sapientium nomine insignire juvat, morem omnes imitantur naturæ scriptorum, qui suis prismatibus lucem e cœlo detrauiunt collectosque radios dulcissimo mortalibus permitunt esse spectaculo. At vides quam diversi sint radii isti colorum respectu; ita etiam veritas varia, ne tamen nitor ejus fucatus. Sic exoritur veritas physica, historica, mathematica & quæ sunt reliquæ, quibus omnibus veluti Gratias:

"Facies non omnibus una

"Nec diversa tamen, qualem decet esse Sororum.

A

Hac

Hac quidem qualicunque similitudine non quidem rem explicare, sed aditum solummodo ad illam ad curatori examini subjiciendam nobis voluimus parare. Scilicet, ut ille nequaquam est sapiens, qui contendit, omnes veritates nos posse simul amplecti; ita nemo sane contenderit, omnes humanæ ratione impervias.

Verum enim vero, omnes inter, quas humana ratio sibi acquirere potest, veritates, illa, quæ logica appellari solet, reliquis veluti fundamento est aquæ, ut ita dicam, iis imperat. Hanc autem ita definunt Philosophi, ut sit convenientia res inter & nostras cogitationes. Sed non tantum de cogitatione quæ exoritur, sed ad verba etiam attendendum, quibus, quæ ipse sentio, cum aliis communicare voluero. Tia igitur omnino hinc existunt momenta, quæ ad veritatem constituendam pertinent: *Res ipsa, cogitatio mea*, sive ut volunt Philosophi, *Idea*, & verba deinceps quibus sententiam exprimere possum. Si autem jam inter objectum, (ut loquuntur), quod animi tuum afficit, ac ideam, quæ inde formatur & deinceps inter hanc & vocabula nulla intercedat discordantia, nulla exoriatur pugna, sed vim & naturam alterius altera referat, habes profecto illam, quam quæris veritatem. a) Sed exsurgat fortassis aliquis

qu

a) "Alle mögliche und wirkliche Dinge, haben sie gesagt  
"sind gleichsam die Urbilder, unser Begriffe und Gedan-

qui magno ore clamitet; unde scis, non plures inesse rebus proprietates, ac tu invenis? Unde scis, has ipsis, quas perspicere tibi videris, revera rebus inesse? Fuerunt sane & forsitan adhuc sunt, qui omne animi sensuumque judicium aspernati, nihil eorum, quæ sentimus, verum esse contendere non dubitent; horum autem argumenta, dicam an somnia, ut refellam, quis ego, aut quæ in me facultas? nobis tamen extra omnem dubitationis aleam posita habetur veritas. Ubi enim rem mihi repræsentavero, ubi ab omnibus aliis illam distinguere omnesque ejus proprietates recensere valuero; credo equidem, hanc rem esse hanc & non aliam; credo, illam revera existere atque si aliis hanc rem descripsero, credo equidem, ejus imaginem me exhibuisse veram. Hac contentus sum persuasione, eadem contenti fuerunt sapientissimi mortaliū & ita nati sumus omnes, ut illa contenti simus. Fateor quidem adhuc quæri posse, annon illo ipso momento, quo res mihi obveniat, formam induat aliam ac quam revera habet, talem nempe, ut possit in mentem nostram intrare, haud aliter ac metalla

A 2

liqui-

"ken die Abbildungen derselben; und die Worte wie die  
"Schattenrisse der Gedanken. Wenn die Abbildung nichts  
"mehr und nichts weniger enthält, als dem Vorbilde zu-  
"könmt, und der Schattenriss richtig andeutet, was in  
"der Abbildung enthalten ist, so ist zwischen allen Din-  
"gen die vollständigste Uebereinstimmung, und diese nen-  
"nen wir Wahrheit. Cfr. Moses Mendelssons Morgenstun-  
"den, pag. 4."

liquefacta similitudinem recipientia formarum, in quibus funduntur. Sed hæc quæstio luxuriantis phantasæ, non rationis judicantis est. Ita comparatæ sunt animi nostri facultates, ut rem arripiant atque illam revera se arripuisse credant. Ad altius certitudinis culmen adscendere neque concessum nobis est, neque juvat. Manet quidem res ipsa suo loco immota; sed imaginem illam cupide arripimus, atque cum aliis illam communicare studentes, veri quidquam illis nos tribuere certo certius persuasi sumus. Hanc autem convenientiam rem inter & ideas nostras, inter has auctem & signa, quibus sensus nostros exprimimus, uno nomine veritatem appellare & possumus & debemus.

Hæc vero logica veritas late suum extendit imperium atque omnibus Scientiis, omnibus artibus leges fert sanctissimas. b) Si autem ad litteras, uti dicuntur elegantiores, illam referre voluerimus, elicetur exinde hæc regula, quod ea quæ repræsentare optaverint Auctores, secundum rei naturam repræsentare debeant. Exoritur hinc veritas illa æsthetica, de cuius necessitate, natura & in omnia, sive eloquentiæ, sive poëeos genera inque ornamenta quavis vi,

bre-

b) "Il y a une logique secrète qui doit régner dans tout ce qu'on dit & même dans les passions les plus violentes: sans cette logique, on ne parle qu'au hazard, on débite des vers qui ne sont que de vers; le bon sens doit animer jusqu'au delire de l'amour." Vid. Poétique de Voltaire, pag. 47.

breviter disserere animus incitat. Sed quoniam materies hæc non minus difficilis est tractatu, quam nobilissima & quæ nos delectet potentissima, nescio qua ratione benigniorem judicum optime expetamus censuram, nisi hac forte, ut nihil omnino oremus.

## §. II.

Jam primum omnium satis constat, veritate e vita humana sublata nihil superesse, quod immortalem animum ad celsiora quævis natum, quam ut in terrena fæce cogitationes desigat suas, delectet. Ita quidem nati & conformati sumus omnes, ut verum semper invenire studeamus: invento autem isto summopere delectemur. Atque vel hinc patet, quantum ad felicitatem mortalium promovendam conferat diva illa veritas. Veritatem finem fuisse, ad quem tendrunt præteriorum Sapientes saeculorum, ad quem nos hodie tendimus, ad quem nostri nepotes & quotquot ab illis nascentur tendent, quis dubitaverit? Hoc autem numquam sane fieret, nisi insitum atque innatum esset hominibus veritatem querendi studium atque in omnibus rebus exigendi. Tria omnino sunt omnium humanarum actionum incitamenta, omnis felicitatis nostræ fundamenta. Bonitatem nempe, veritatem atque pulchritudinem, ut rem exprimunt Philosophi. Has autem inter tam arctus intercedit nexus, ac illas inter animi nostri facultates, quibus lætissima vi imperant. Qui itaque bonum a vero di-

vellere conaretur, is omnino harmoniam rationem inter & intellectum tolleret, quæ harmonia ut rite conservetur, omnes contra allaborare debemus. Idem etiam de vero & pulchro inter se comparatis valere arbitramur; adeoque arctissimum, quo inter se juncta sunt, amicitiae vinculum qui dissolvere vellet, is omnino ipsius naturæ leges violaret, sapientissimæ illius naturæ, quæ rationem, intellectum imaginandi sentiendique facultatem in una eademque domo collocavit atque fororio nexus conjunxit. Vel ex hoc philosophico, si ita loqui fas est, argumento conclusas, quantæ sit in litteris elegantioribus necessitatis veritas, de qua disputamus. Quod apertius ei constabit, qui ad veri falsique effectum animum advertere operæ pretium duxerit; is enim omnino non in litteris modo elegantioribus veritatem postulabit, sed cum Spartano, c) qui Sophistæ, se quavis argumentandi ratione vera vel falsa Auditorum animis fore imperitaturum gloriانت, respondit quærens, O Dii immortales! quæ est ars, quæ veritate posse carere? unum faciet. Omnis delectatio innitatur necesse est persuasione veritatis; ad quam quidem veritatem raro directe attendimus, sed quæ nihilominus fundatum est omnis pulchri, æque ac circulatio sanguis.

c) "Beym Himmel es giebt keine Kunst, und es wird nie eine Kunst seyn, denn Grund nicht Warbeit sey. Vid. 'Allgemeine Theorie der Schöne Künste, von Joh. G. Sulzer, vocab. Wahrheit.'

guinis prima est caussa venustatis valetudinisque, quamvis illam haud consideremus. In Scientiis ipsa persuasio summam parit delectationem. Quære a Philosopho: an ullam ex argumento clare & feliciter enodato persentiscat voluptatem? & invenies illum ita inde captum, ut præ lætitia & gaudio vix respondendi tempus habeat. Quære a Mathematico: an ex curvis suis lineis spectatis cognitisque, gratum quendam perspiciat sensum? & Tibi respondebit, se ex uno problemate resoluto, plus vel saltem non minus haurire delectationis, ac Poëta ex lecto Homero, pulchri illo oceano. Psychologorum est, causam hujus ex vero delectationis explicare. Omne sane, quod mentem sine molestia occupat, omne quod harmoniam quandam cum nostris facultatibus habet, id ejusmodi est naturæ, ut moveat, ut mentem quasi titillat; isti autem motus ab ipsa ratione, ab intellectu transferuntur ad sensus omnes, atque hinc forsitan jucunditas illa, quam percipimus. Sed in Scientiis veritas primus est finis, in artibus elegantioribus prima regula. In illis sola delectamur veritate, in his multis aliis rebus, sed non tamen sine illa. Quæ si abest, nihil omnino grati persentimus; si autem adest, non ea sola enthusiasmum efficiat. Sistas mihi virginem, cuius color auroram quasi in certamen provocare videatur, sed en fucatus est, non est naturæ; ipsius manus pia hac fraude pristinas ei reddere conata fuit. veneres atque juvenum amores alicere; Quid accidet? Rideo, si possum, vel etiam quod gravius est,

con-

contemno ejusmodi pulchritudinem. Sed si non *vultus* tantum, verum tota corporis figura artis ope pulcherrima mihi obvenit; sentio quidem pectus incitari, at mox ruit tota venustas, ubi larva fuerit exuta atque illico evanescit gratisimus, quo perfusus sum, sensus. Ejusmodi falsitas, sive in artibus sive in litteris deprehensa fuerit elegantioribus duplicitis generis edere solet effectus. Aut enim indignationem, aut etiam risum movet. Si quid sit, quod majoris momenti habeatur, quod ad nostram felicitatem aliquatione conferat, quod autem pervertat & conturbet artifex, sentimus animum ira aut indignatione incendi atque, quo ipsi laboramus doloris tædiique sensum, in molestiae nostræ auctorem dovolvere cupimus. Si Pictor, ut hoc utamur exemplo, carissimi parentis, fratri vel amici, vel ut fortius sumamus exemplum, si amicæ dulcissimæ imaginem exprimeret atque in monstrum horrendum effingeret illam, quam nos adoramus pulchritudinem; quomodo illum tolerare possemus? Si autem idem pictor tigrim & leonem depicturus, selem redderet & nihilo tamen minus effigiem illam tigrim esse firmiter ipse teneret; quis risum continere posset? Hic est fallitatis in omnibus artibus effectus. Si autem artes, quæ quidem in se nobiles sunt, sed tamen litteris elegantioribus postponendæ, tanto studio veritatem debent sectari; quis dubitet, sanctissimam eandem poëtis oratoribusque observandam esse legem? Si saltatores suum rhythmum accuratissime observant, si musici falsum modum

dum ac numerum vel falso juramento horridiorem iudicant; nonne etiam Poëtæ & Oratores summum veritati statuere debent pretium?

## §. III.

Finem litterarum elegantiorum nobilem esse, longa non eget demonstratione. Sed sunt, qui in alto hunc collocent finem, adeo ut nihil in vita humana excellentius possis excogitare. Et quidem sensum sublimis morali hominis sensui affinem esse, vel ex eo concludere possumus, quod animus quavis elegantia æsthetica vivide percursus, omne altum sentiat, omne magnum suspiciat, omne quod veritatem spirat & nobile pectus, amet atque illos amplectendi desiderio flagret, qui generi humano lucem felicitatemque attulerunt. Omnes quoque, quotquot regulas præscriperint artibus elegantioribus, primam virtutem, qua ornatus sit oportet Poëta aut Orator virtutem ipsam constituerunt. Si hoc verum est, quod nos quidem ita esse optamus, ac si ad honestatem tuendam conferre debeant litteræ elegantiores; quis non videat, quanta religione veritatem observare? Nullum igitur pretium neque doctæ *Horatii* Lyrae, neque jucundissimæ *Tibulli* fistulæ, neque molli *Ovidii* ingenio, ne ipsius quidem *Homeri* maiestati, nisi veritatem ubique amaverint. Est itaque non Poëtis tantum, verum etiam Oratoribus identidem mente repetenda egregia hæc regula, ex Poëmate

mate hausta, cuius numquam diminuet dies pretium  
ac dignissimo, quod ad sepulchrum *Kellgrenianum*  
canerent tristissimæ Musæ:

*Men hvad är Skönheten af Bildningsgåvans drag?  
Hvad är af Sångens röst det starka eller ljusva?  
Hon oss förskräcka må med Dunder-Gudens flag  
Hon må förtjusa oss med suckningens behag  
af Myrten skogens Turturdufva;  
Om Himlen Unge Man ej skänkte dig en själ  
med kraft at sig mot våld och lust och flård bemanna,  
Ijes i sin flyckt up til det sanna  
och brinnande för mänskjors väl.*

Sed modestissimæ sunt Musæ. Si quid Religioni, moribus aliquid ferre auxilii valuerint, inde sibi gratulan-  
tur atque sanctissime pollicentur, se pro modulo virum  
ad nobilissimum finem velle conferre; sed maxi-  
mum tamen, quem præstare possunt effectum in de-  
lectando, in movendo ponunt. Omnes autem viæ,  
quibus ad hunc finem adjuvandum contendere solent  
litteræ elegantiores, in unum locum convergunt, at-  
que ibi situm est pulchrum illud, de quo tantum  
scriperunt atque sudarunt Eruditæ. Hujus naturam  
explicare, neque nostræ facultati, neque huic o-  
peræ convenit. Sed si probatur hic ultimus littera-  
rum elegantiorum finis, quæstio oritur: an ex hoc  
nœvum pro necessitate veritatis in omnibus nobilio-  
ribus

ribus artibus colendæ desumere valeamus argumen-  
tum. Antea quidem monuimus, omnia vera delecta-  
tionem parere, falsa omnia sive tedium sive risum;  
atque hoc etiam hic repetere non gravat. Nisi igi-  
tur sibimet ipsis adversari voluerint Auctores, veri-  
tati summam necesse est dent operam, sine qua nul-  
la excitari potest delectatio: adeoque vel Syllogis-  
mo, quo quidem argumentandi genere Philosopho-  
rum, nullum certius agnoscitur, sed habitu paullo læ-  
tiori induito, veritatem assertionis nostræ probare  
possumus. Si autem quæstionem injiceret nobis ali-  
quis de veritate præmisarum, (scilicet falsa quævis  
naturæ nostræ esse contraria, vera autem aptissima  
ad voluptatem excitandam,) rursus ad experientiam  
provocamus, neque altiore certitudinis gradum at-  
tingere mortalibus datum est. Unde autem *Homero*,  
unde *Demostheni* atque *Horatio* tanta auctoritas? tan-  
ta laus? si ab ipsa fabula usque ad elocutionis par-  
tem Scripta illorum examinare volueris, invenies, eos  
veritatis sanctissime observasse præcepta. Sed fue-  
runt homines & humana sorte haud exempti: interdum  
itaque errarunt & veritatis viam deseruerunt: quo  
autem facto & illi indignationem pariunt. Sic *Ho-*  
*ratus de Homero:*

*Indignor quando bonus dormitat Homerus.*

Sic multi Critici plura etiam *Horatio* objecerunt fal-  
sarum vel sententiarum vel imaginum crimina, nec  
ullum tanta auctoritate munitum fuit nomen, ut falsi-  
tatem

tatem defendere valeret: unde firmissimum pro necessitate veritatis æstheticæ observandæ desumere licet argumentum. Sed quomodo dicimus immortales, quos sœcula obstupuerunt & adhuc obstupescunt, Auctores veritati diligenter studuisse, atque sic æternam gloriam esse consecutos; non inde aliquem in eam inducere volumus opinionem, quasi præciputum veritas servata fuisset immortalium ingeniorum meritum. Id antea innuimus, id hoc loco monemus. Palatum vides splendidissimum, omnia, quæ ars in sua potestate habet, adhibita sunt ad illud ornandum adjumenta, ordo, decus, splendor, majestas, oculos tuos præstringunt; sed adeo tamen præstringere non debeat, ut ipsum, cui innitatur vasta moles, fundamentum haud valeas animadvertere. Hoc fundamentum lubricum est, est in arena positum; caveas igitur Tibi, quæso, ne prope accedas; ingens ista moles tuo capiti forsan inciderit atque spem tuam teque ipsum ruina sepelient. Hæc est imago veritatis æstheticæ: sit illa oportet pulchri omnis fundamentum: quod nisi firmum fuerit

*ruit alto a culmine Troja.*

Atque vel hoc etiam citavero necessitatis in artibus elegantioribus veritatis diligenter sectandæ argumentum, quod omnes, quotquot æstheticæ artis præcepta tradiderint, hanc inculcaverint regulam, ut naturam sequerentur Oratores Vatesque ducem, ut ad illius exemplar, sua opera componere anniterentur, si alias excelsi quidquam, si, quod sœculum ferat,

ferat, producere valuerint. Quod quidem haud fecissent, nisi humanæ naturæ veluti innatum esset, veritatem in omnibus rebus postulare. Si ad antiquissima respicere nobis placuerit tempora, reperiemus, Aristotelem, omnis Scientiæ primum & ætate & dignitate Magistrum, hanc, de qua disserimus, rem magnopere commendare. Illa enim, quæ de naturæ imitatione scripsit, latius patent ac vulgo creditur. Non quidem, ut nonnulli perverse volunt, de natura in omnibus artibus imitanda agit, id quod ad alias haud commodissime fortasse possit referri; sed hoc tantum vult monere, ut naturæ sequamur exemplum, quæ in omnibus suis operibus ordinem inter partes omnes & totum observat debitum, atque cuivis proprias suas addit rationes atque facultates. Sua valde falluntur opinione, qui omnia Stagiritæ præcepta scholastico pulvere oblita clamitant atque quærendas esse inter saxa & rupes gemmas; tantum id abest, ut potius concinnus, elegans, nitidus in hac præceptione sit. Sed quid nos ad ejus laudem plus dicere fas est, quam quod sit Aristoteles. Horatius quoque in sua arte poëtica veritatem sectandam multis locis inculcat. Ac licet digressiones plures faciat, redit tamen ad præceptionem, unde egressus fuit, ad veritatis colendæ summam necessitatem. Quid aliud his versibus efficere voluit, quam ut falsitatem castigaret:

*Humano capiti si quis Ec.*

Quæ quidem imago non ad tragicum unice genus debet

debet referri, sed ad omnia opera, quæ pluribus absolvuntur partibus. Plura deinde enumerat falsitatis exempla, ad quæ omnia hæc verba applicari possunt:

*Incredulus odi Ec.*

Quibus effectum falsitatis felicissime depinxit immortale ingenium.

§. IV.

Sed quamvis veritas tantæ sit in vita omni humana, in primis autem in litteris elegantioribus necessitatis, ut nihil nos delectet, nisi quod firmissimo huic innitatur fundamento; qui sit tamen, ut multa falsa, absurdâ multa & absonta, non modo non tedium, verum etiam delectationem nonnunquam pariant? Omnes quidem ad veritatem nati sumus, omnes illam amplectimur & amamus; id quod etiam sine Aristoteлис auctoritate adstruere haud dubitemus. d) Est hoc non luxuriantis phantasiæ lusus, sed ipsius experientiæ dictamen, multos esse homines qui absurdâ & falsa quævis in litteris elegantioribus haud perspiciant, multi qui ea admittant, & non pauci qui istiusmodi absurditatis monstrosi summum statuant pretium & ad sidera extollant. Fuere etiam qui hinc divinare volue-

d) Τὸ τε γὰρ ἀληθὲς καὶ τὸ ὄμοιο τῷ αληθεῖ τῆς αὐτῆς ἐσὶ δυνάμεως ἵδεν ἀμφὶ δε καὶ οἱ ἀνθρώποι πρὸς τὸ ἀληθὲς πεφύκασιν ικανῶς καὶ τὰ πλείω τυγχανόσι της αληθεῖς, η. τ. A. Vid. Arist. *Tenens energeias*, Cap. I. pag. 9.

Iberunt humano generi maximam calamitatem, haud aliter ac olim ex cometis animi aniles; quasi nullum certum esset pulchri judicium, sed sius cuique gustus, quasi homo naturæ quoddam esset ludibrium. Sed num licet legi morali denegare omnibus ratione præditis imperandi vim, ideo quod diversæ apud diversas gentes fuerunt de honesto & recto opiniones: nonne absurdum erit virtuti suum detrahere pretium, ideo quod multi arduam ejus viam deserentes voluptatibus bonas horas impendere operæ pretium ducunt; æque putas absurdum, verum & certum pulchri judicium ideo tollere, quod plures sint gentes litterarum luce haud collustratae ac quod absonis quibusvis & falsis in poësi aut eloquentia delectentur in numeri. Sunt nimirum hujus rei sufficietes, quas edere licet, causæ. Aut enim præjudicio aliquo imbuti sunt animi, aut ignorantia obscurati, aut hebetiores, quam ut magna & excelsa videre possint & suspicere. Opiniones falsas, qui cum materno lacte suxerunt, quorum menti nullus ferens dies illuxit, quibus omnia veluti chaos quoddam obveniant; ab his nequicquam postulas, ut verum a falso discernant, ut veram inter sententiam, metaphoram, hyperbolam & falsas perspiciant differentiam. Possunt illis Oratores atque Poëtæ falsas doctrinas, falsas sententias omnia absurdâ propinare, modo præjudicatis, quibus imbuti sunt, opinionibus convenienti. Sed diem lucemque illis des; ac mox, quæ ad sidera tollere heri mos fuit, ea hodie vituperabunt atque rejicient. Ignorantia, monstrum illud

ingens, horrendum, quod generi humano tantum adulit calamitatis, in causa quoque est, cur falsis suum præbeant assensum mortales. Nihil quidem curare solent ejusmodi homines in litteris elegantioribus præter externam pompam, præter sonora verba & aures quasiantia, nihil præter flores & ornamenta, quamcunque falsa ista fuerint. Si orationem exempli causa habet quis, modo flosculis abundet, modo aures titillet, modo ornamenta quævis afferat, nihil amplius quærunt. Sedent obstupefacti atque admirantur, haud aliter ac rusticorum ingens cohors, quæ sponsam, cuius capiti vasta gemmarum haud illarum quidem ingenuarum injecta est congeries, cum stupore quodam sancto conspicit, quam sapiens vel delicatiori sensu prædictus ridet; illi quoque sine iudicio splendidas quasvis falsitatis amant atque magnis celebrant laudibus. Illis hæc præclara erunt atque miram habebunt elegantiam, non minus quam dignitatem, quæ sapientiores quoque perlegentes aliquando gratissimo perfunduntur sensu, scilicet risus non minus gratus quam salubris est. Exemplum habebis:

*Ådla Pârlor borde blîfva  
hvarje ord och minsta prick,  
ådla flenor jag och skrifva  
skulle om jag fârgor fick,  
som dem skulle skildra af  
med en klar och liflig strimma,*

at

*at som sol och stjernor glimma  
uppå denna frôgde-dag.*

Sunt etiam qui oscitentur atque dormitent semper, qui ad pulchrum quodvis & verum adeo obtusum gerant peccus, ut nihil omnino inde sentiant voluptatis. Hi raro litterarum elegantiorum commercio fruuntur, atque si aliquando feliciori auro adflati Musas sua præsentia & suo assensu beare haud dedignati suerint, præ tædio pandiculari atque dormitare non tantum solent verum etiam quod pejus est, falsis quibusvis laudem tribuunt eamque sinceram. Quemadmodum dormientem venatorem innumeræ transvolant aves, sic mille pulchritudines, quas lætissimus observat ingenuus judex, piger iste atque hebes numquam perspicit.

Sed quamvis tam ingens sit illorum cohors, qui nullam in litteris elegantioribus quærant veritatem; ideo tamen nobilioribus artificibus hæc regula sanctissime observanda est, ut a natura rei & veritate numquam discedant. Sunt enim justi rerum æstimatores, quorum ad iudicium falsa quævis condemnabuntur, veris autem pretium stabit æternum. Qui rerum cognitione gaudent, qui litterarum gloria florent, qui insuper pulchri cujusvis vivido sensu prædicti sunt; illi justi rerum judices, digni qui litterarum elegantiorum sceptra teneant, jura dabunt omnibus, quotquot hujus nobilissimæ civitatis membra esse operæ pretium duxerint. Horum autem gustus est communis

C

ille

ille quem optamus, ut habeant omnes, quotquot litteras colunt elegantiores, æque ac optant Philosophi, ut actiones boni cuiusvis hominis norma sit, ad quam se componant reliqui mortalium. Hie inquam est genuinus & maxime generalis ille gustus, ad cuius tantummodo nobis adsurgere liceret ideam, nihilo tamen minus immotus stabit æque ac lex moralis. Fortitan numquam communis erit; sed parvi hoc resert, sufficiat scire, veri in omnibus ingeniosis operibus observandi præceptionem, non esse luxuriantis imaginationis foetum, sed ipsius naturæ dictamen, atque sanum gustum non esse unius cuiusdam sapientis, sed esse totius generis humani. e) Quæ cum ita sint,

per

e) *The conclusion, which it is sufficient for us to rest upon, is, that Taste is far from being an arbitrary principle, which is subject to the fancy of every individual, and which admits of no criterion for determining whether it be false or true. It is built upon sentiments and perceptions which belong to our nature; and which, in general, operate with the same uniformity as our other intellectual principles. When these sentiments are perverted by ignorance and prejudice, they are capable of being rectified by reason. Their sound and natural state is ultimately determined, by comparing them with the general Taste of mankind. Let men declaim as much as they please, concerning the caprice and the uncertainty of Taste, it is found, by experience, that there are beauties, which, if they be displayed in a proper light, have power to command lasting and general admiration. In every composition, what inter-*

per se patet, quantum adhibere debeat Orator & Poëta acuminis atque diligentiae, ut veritas omnibus ejus insit operibus; si enim cum Horatio, ut certe debet, profanum vulgus odit atque supra illius præjudicia caput attollere vult, si opus edere optat, quod saeculum ferat atque adecuratori subjici non metuat examini, veritati ante omnia studeat, cui nisi opus suum initatur, ruat neceesse est, quamvis Dianæ Ephesiæ templum elegantia atque splendore superare videretur.

Hæc de necessitate veritatis æstheticæ observandæ brevissima dicta sunt; de natura ejus, de benigna in omnia, sive eloquentiæ sive poëseos genera, in mores & affectus influxu & denique in ornamentis omnibus tropis figurisque, quibus superbire solent artes elegantiores, in sequentibus disputabimus.

*ests the imagination, and touches the heart, pleases all ages and all nations. There is a certain string, which, being properly struck, the human heart is so made as to answer it. Sic pro more suo, id est, eleganter disserit Blair, Tom. I. p. 39 - 40.*

